

Universitätsbibliothek Wuppertal

Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales, historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam transscripti summo labore, cura, ac fide

Plutarchus

Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII

De mulierum virtutibus liber

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

PLVTARCHI DE MULIERVM

Virtutibus, liber.

5 **A**LIA est, ô Clea, de mulierum virtute mea, quàm
 Thucydidis sententia. Is enim ei primam laudem
 tribuit fœminæ, de qua foris minimus est vel in bo-
 nam vel in malam partem sermo. censens nimirum vt cor-
 pus, ita famâ quoq; bonæ mulieris domi inclusam esse, ne-
 que in publicum exire debere. Mihi autem elegantior vide-
 10 tur Gorgia opinio, qui mulieris non formam, sed famam
 vult multis esse notam. Et Romanam legem maximè pro-
 bo, quæ mulieres itidem vt viros post mortem publicè lau-
 dari pro dignitate iubet. Itaque optima Leontide vita de-
 functa, cum statim, tunc mihi tecum colloquium fuit non
 15 expers philosophicæ consolationis: tum in præsentia quid-
 quid restabat eorum, quæ ad docendum eandem esse viri
 ac mulieris virtutem differuntur, historica demonstratio-
 ne tibi conscripsi. Non est hic noster commentarius ad vo-
 20 luptatem audicione parandam accommodatus. sed tamen
 si exemplorum hæc est natura vt persuadendo simul oble-
 scent, oratio nõ abhorrebit à venustate demonstrationem
 adiuuante, neque verebitur Musis admiscere Gratiæ, pul-
 25 cherrimo (vt ait Euripides) coniugio: maximè cum ab ani-
 mo honestatis cupido capter fidem. Agedum enim si dicen-
 tes eandem esse virorum ac mulierum artem pingendi, ta-
 les à mulieribus elaboratos preferremus picturas, quales
 Apelles, Zeuxis, aut Nicomachus reliquerunt: essetne qui
 nos reprehenderet, ac gratificandi & delectandi maiorem
 nos, quam fidem faciendi rationem habuisse diceret? non
 30 sanè opinor. Rursum si poeticam imitandive artem ean-
 dem esse mulierum & virorum affirmâtes, Sapphûs carmi-
 na cû Anacreôteis, aut Sibylæ cum Bacidis oracula com-
 pararemus, iustène aliquis culpæ demonstrationem pos-
 set, quod gaudentem ea & voluptate affectum auditorem
 35 ad fidem proposito habendam adduceret? non profectò.
 Atqui similitudinem ac discrimen mulieris atq; virilis vir-
 tutis aliunde rectiùs discere non possis, quàm si vitas vitis,
 & actiones actionibus tanquam magnæ artis opera com-
 ponens, consideres eandemne habeant formam atque effi-
 giem Semiramidis & Sesostris magnificentia, Tanaquilidis

*Hercub.
fur.*

& Seruij regis calliditas, Porciæ magnanimitas & Bruti, Timocleæ & Pelopidæ, si ad vim istarum virtutum præcipuam respiciatur. Alias enim quasdam differentias virtus, tanquam colores quosdam peculiare accipit ob diuersitatem naturæ, adsimulatũque moribus, temperie corporis, 5 cibo & viuendi rationi eius cui inest. Aliter enim fortis fuit Achilles, aliter Ajax: neque prudentiæ Nestoris similis fuit Vlysis prudentia: neque eodem modo iusti fuerunt Cato & Agesiſtaus: aliter maritum dilexit Eirene quàm Alcestis: diuersa fuit ratio magnanimitatis Corneliæ & Olympiadis. 10 Neque tamen eo adducimur, vt multas & diuersas constitutumus fortitudines, prudentias, & iustitias: dum modò diuersitates singulorum nullam virtutem sua definitione excludant. Proinde exempla nimis trita, & quæ tibi (quippe versata in frequenti librorum lectione) cognita esse puto, 15 in presentia omittam, nisi si qua digna memoratu fugerunt eos qui ante nos vulgaria & publicè nota in literas retulerunt. Quãdo autem mulieres multa præclara facinora cum publicè tum priuatim ediderunt, pauca quãdam de publicis referre operæ precium videtur. 20

TROADES.

Qui ab Illo, cum id euerteretur, profugerunt eorum plerique tempestatis vi, & ob imperitiam nauigandi, marisq; 25 ignorantem ad Italiam sunt delati: & ad Tiberim fluium ægrè portibus ac stationibus necessariis subuecti, peruagati sunt regionem, quærentes qui ipsi locorum istorũ conditiones enarrarent. Interim mulieribus cogitatio incidit, qualemcunq; sedem quauis in terra potiorẽ esse rectè suas res gerentibus hominibus, quàm errores & nauigationem: patriamq; eam esse faciendam, cum amissa recuperari non 30 possit. Proinde conspiratione facta, naues cremauerũt, duce facinoris Roma, vt aiunt. Hoc factò, maritis opitularum nauibus ad mare contententibus occurrerunt, metuentisque iram eorum, aliæ maritos, aliæ necessarios amplexæ, blandèq; deosculatæ sunt, eaq; suauitate animos eorũ delinuerunt. 35 Inde mos ortus est etiamnum durans, vt Romanæ fœminæ cognatos osculo salutent. Nam necessitatem nimirum cernentes Troiani, simulq; humanos & benignos experti incolas eorum locorum, factum mulierum probauerunt, ibiq; cum Latinis habitauerunt.

Oscula
mos.

PHOCIDES.

Phocidum facinus à nullo nobili scriptore commemo-
 ratur. sed virtutis laude nulli muliebri facto cedit. testimo-
 nium ei ferunt magna sacrificia, quæ Phocenses hodieque
 5 ad Hyampolin peragunt, ac vetusta decreta. Singulas histo-
 riæ totius partes ego in vita Daiphāti perscripsi. Phocidum *Daiphantus.*
 res ita gesta est. Implacabile bellum erat ortum inter The-
 salos & Phocenses. Hi enim principes ipsorum & tyrannos
 in Phocicis vrbibus vna die vniuersos necauerant: illi aut
 10 ccl. Phocensium obsides trucidauerant, omnibusq; cū co-
 piis per Locros in Phocidem irrumpebant, decretoque fa-
 cto iubebant nulli adulto parcere, pueros & mulieres ca-
 ptiuos abducere. Ibi Daiphantus Bathyllij F. qui cum duo-
 bus collegis Phocensium reip. præerat, suis persuasit, vt ad
 15 pugnam conferendam Thessalis obuiam irent: mulieres
 autem cum liberis vnum in locū ex vniuersa Phocide con-
 ducerent, eūque congestis lignis cingerent, ac custodes
 adderent, mandato vt si suos victos sentirent, cōfestim ma-
 teriam accenderent, ac corpora comburerent. Hæc cū ef-
 20 fet reliquorum sententia, vnus in cōcilio surgens, Æquum
 est, inquit, vt mulieres quoque istuc probent, alioquin o-
 mittendum est, neque vi eò sunt adigendæ. Qui sermo vt
 peruenit ad mulieres, ipsæ seorsim conuenerunt, itaque fie-
 ri debere decreuerunt, Daiphantūque coronauerunt, vt
 25 qui optimè rebus Phocicis consulisset. Idem quoque pue-
 ros aiunt concione priuatim conuocata sciuisse. His ita ac-
 tīs, Phocenses ad Cleonas Hyampolidis cum hoste confli-
 xerunt, victoriæque sunt potiti. Decretum hoc Phocensium
 Græci Aponæam, vt pote desperatis rebus audacter factum
 30 appellauerunt. Omnium autem festiuitatum suarum ma-
 ximam Elaphebolia Mineræ Phocenses in hūc vsq; diem
 quotannis peragunt atque celebrant. vox à feriendis ceruis
 ducta est.

C H I A E.

35 Chij Leuconiam coloniam duxerunt tali de causa. Qui-
 dam in Chio non minimi nominis matrimonium contra-
 xerat. cū autem sponsa in curru duceretur, rex Hippoclus
 sponsi familiaris, qui vnà cum reliquis aderat, oborto ex
 ebrietate iocandi studio, in currum insiluit, nō animo vllius
 iniuriæ faciendæ, sed cōmunem consuetudinem lusumque

D 3 securus.

*Thessali à
 Phocensib.
 vrbis.*

secutus. tamen hunc sponsi amici interfecerunt. Inde cum Chij ira diuinæ argumenta cernerent, oraculo consulto iussi sunt percussores Hippocli necare. cumque vniuersos eius cædis fontes se esse dicerent, vniuersos deus iussit vrbe excedere, siquidem vniuersi flagitio isto se obstrinxissent. Ita demum fontes, cædisq; socios aut approbatores, vrunque & multos & potentes, in Leuconiam deportauerunt. Hanc Coronensibus adeptam primùm cum Erythraeis possederant Chij. Postea temporis bello cum Erythraeis lonum potentissimis contracto, cum hi ad Leuconiam duce-
 10 rent exercitum, Chij impares se viribus videntes, pacti sunt excessuros se Leuconia, vnam tantũ quoq; chlanam, vnamque tunicam secũ auferente. Mulieres aut Chios obiurgabant, quod armis dimissis nudi per hostes essent exituri. cumque hi dicerent iureiurando adhibito se id promississe, 15 monuerunt ne arma relinquerent, sed hostib. dicerent hastam esse loco chlanæ, clypeum loco tunicæ viro animoso. Cum obtemperassent Chij, liberẽq; aduersus Erythreos locuti arma ostenderent: territi eorũ audacia Erythraei sunt, nemõq; eorum accessit aut prohibuit, sed discessum eorum
 20 gratum habuerunt. Atq; hi quidem à mulierib. edocti audere, hoc modo tum seruati sunt. Sed nihilo minoris virtutis facinus est Chiarum mulierum, longo p̄st̄ perpetratum tempore. Philippus Demetrij E. urbem Chiorũ oppugnans, superbum ac barbaricum edictum proposuerat, quo seruos
 25 ad defectiõnem ad se inuitabat, pollicẽs eis dominarũ coniugiã & libertatem. Mulieres verò atroci atque effera correptæ ira vnã cum seruis, ipsis quoque vnã indignantibus & auxilium ferentibus, cum impetu in muros euaserunt, lapidẽsque & tela congerentes, ac pugnantes exhortantes & animantes, ipsæque etiam ad extremum hostem profigãtes
 30 & telis impetentes, Philippum repulerunt: cum quidem ad hunc nullus omnino seruorum transiisset.

*Seruorum
fides.*

Telephilla.

ARGVÆ.

Interres à mulieribus publicè præclare gestas, nullum illustrius extat facinus certamine, quod Argiua pro patria aduersus Cleorænem Telephillæ poetriã hortatu obiuerũt. Hanc ferunt nobili ottam familia, cum esset corpore morbis obnoxio, deos de paranda bona valetudine consultuisse: oraculõq; monitã vt Musas coleret, deã obtemperasse, studiumque e

diſumque in carmina & harmoniã collocãſſe: & cum mor-
 bo liberatam eſſe, tum ob poeticam in admiratione mulie-
 ribus fuiſſe. Cum Cleomenes Spartæ rex multis Argiuorũ
 occiſis (fabula eſt quidã numerũ eorum perhibet 100. c. 10.
 c. 10. 1000 LXXVII) ad ipſam urbẽ duceret, impetus & di-
 uinitus quãdã inicitã audacia mulieres quæ ætate integra
 eſſent excitauit ad propullandos à patria hoſtes. Proinde
 Teleſilla duce arma capiũt, propugnacula occupãt, muros
 corona ciungunt, non ſine admiratione hoſtiũ. Ac Cleome-
 10 nem quidẽ repulerũt, multos ſuorũ deſiderantem. alterum
 regem Demaratũ (vt Socrates ait) qui in urbẽ peruenerat &
 Pamphyliacum occupauerat, vi extirbarũt. Hoc modo ur-
 be ſeruata mulieres quæ in pugna ceciderant, in via Argiua
 ſepultæ ſunt à ciuibus: ſuperſtitibus autem præmium virtutis
 15 dedicatio Martis conceſſa eſt. Pugnatũ alij ſeptima die,
 alij ipſo nouilunio tradunt menſis, qui nunc quartus, olim
 Hermæus, id eſt Mercurialis, apud Argiuos dicitur. Ea die
 etiã hodie Hybriftica (id eſt contumelioſa) ſacta agunt,
 mulieres virilibus tunicis & lanis, viros muliebribus virtis
 ac velis veſtiẽtes. Virorum penuriam vt exlarcirent, mulie-
 20 res non (vt Herodotus narrat) ſeruis, ſed vicinorum opti-
 mis in ciuitatem receptis coniunxerunt: quos illę videban-
 tur contemnere & ignominia afficere in concubitu. Itaque
 legem poſuerunt, quæ nup̄as barbã iubeat habere, quan-
 do cum viris concumberent.
 25

PERSIDES.

Cyrus cum Perſas ab Aſtyage rege & Medis abalienaſſet,
 proelio victus eſt. Perſis autem fuga ſe ad urbem recipientib.
 cum parum abeſſet, quin ſimul hoſtes irruerent, occurre-
 runt ante urbem mulieres, veſtibũsque ſuſum ab inferiori-
 30 bus partibus attractis, dixerunt: quod fugitis omnium ho-
 minum peſſimi? non quidem fuga hæc penetrare poteſtis,
 vnde exitis. Hoc ſpectaculum, atque hæc vox pudorem in-
 culcit Perſis, ſeq; ipſos culpantes conuerſi ſunt, & inſtaura-
 ta pugna hoſtes fuderunt. Inde lex poſita à Cyro eſt, vt quoties
 35 rex in urbem intrat, ſingulis mulieribus aureus detur.
 Ochus ferũt, alioquin etiã prauum hominem & regum *Auãritia*
 auariſſimum, ſemper circumuiſiſſe urbem, neq; ingredi vn- *exemplũ.*
 quam voluiſſe, irãque mulieres dono defraudãſſe. Alexan-
 der verò bis intrauit, & grauidis duplum dedit.

CELTICAE.

Celtæ, antequam alpes trásgressi, Italiae eam obtinerent partem quam nunc incolunt, è graui & implacabili discordia in bellum incidierant ciuile. Mulieres autem inter media arma progressæ, cognitis controuersis, tam dextrè eas & inculpate diiudicauerunt, vt admirabilis earum ex arbitrio amicitia omnium cum omnibus per vrbes singulasque familias exsisterit. Itaque in posterum à Celtis mos seruatus est, vt consultationibus de bello & pace mulieres suas adhiberent, & lites cum sociis ortas earum opera disceptarent. Quare in suo etiam fœdere, quod cum Annibale iecerunt, scripserunt: si Celtæ haberent quo nomine Carthaginenses accusarent, iudicium fore Carthaginensium ducum ac præfectorum in Hispania: si verò Carthaginenses Celtis aliquid obijcerent, causæ cognitionem futuram ipse Celtarum mulieres.

*Celtarum
cũ Anniba
le fœdus.*

MELIÆ.

Melij cum solo ampliore indigerent, Nymphæo iuvene pulcherrimo colonia ducenda præfecto, nauigauerunt, deo iubente ibi habitare, vbi à quibus portabantur amitterent. Accidit autem vt cum ad Cariam nauibus applicatis egressi in terram essent, naues tempestate perderentur. Cares autem qui Cryassam incolebant, siue inopiam eorum miserati, siue audaciam metuentes, habitare eos secum iusserunt, partemque agri sui impertiuerunt. deinde, cum viderent eos breui temporis spacio magna fecisse incrementa, per insidias eos interficere statuerunt, conuiuium ad hoc instructo. Fortè virgo quædam Caria, nomine Caphena, Nymphæum amabat. quæ, cum ista agerentur, non sustinens salutem amarij negligere, consilium ei ciuium aperuit. Cum ergo Cryassenses venirent eos vocatum, respondit Nymphæus, moris non esse Græcis, ad cœnam venire sine mulieribus. quo audito Cares, eas vt secum adducerent iusserunt. Tunc Nymphæus re Meliis exposita, ipsos tunicatos & inermes secum ire ad cœnam iussit, mulierum autem quamque gladium sub sinu gestare & suo marito assidere. Sub mediam cœnam cum Cares tesseram dedissent, Græci articulum temporis rei gerendæ adesse sentientes, simul omnibus vxoribus sinus pendentibus gladios arripuerunt, barbarosque adorti vniuersos interfecerunt: agroque & vrbe ea potiti, aliam nouam

nouam condiderant, Cryssâmque nouam appellauerunt. Caphena autem Nymphæo nuplit, dignâq; beneficiorum & meritos honores consecuta est. Digna autem est admiratione mulierum taciturnitas atq; audacia, & quòd nulla eorum inter tam multas ne inuita quidem præ metu officium prodidit.

TYRRHENAE.

Tyrreni cum Lemnum & Imbrum occupassent, Atheniensium mulieribus Braurone abreptis filios procreauerunt, quos ut semibarbaros Athenienses infans expulerunt. Hi cum Tanarum appulissent, Lacedæmonijs in seruili seu heilotico bello vtilem præbuerunt operam, ideòq; ciuitate & matrimonijs dignati sunt. Quod autem in senatum & ad consilia non adhibebantur, venerunt in suspicionem quasi nouarum rerum molendarum causa coirent. Itaq; à Spartanis comprehensi & in carcerem coniecti, accuratè custodiebantur, cupientibus liquidis & stabilibus eos continere argumentis. Captorum verò vxores ad carcerem venerunt, multisq; obsecrationibus & precibus à custodibus impetrarunt, ut ad maritos intrmitterentur, saluaturq; eos & compellaturæ. Postquam intro venerunt, celeriter viros secum permutare vestes iusserunt, muliebribusq; in vestibus exire. Ita mulieres quidè paratè ad omnia aduersa in carcere manserunt, viros autem decepti custodes pro vxoribus dimiserunt. Exinde Tyrreni Taygeta occupauerunt, heilotésq; ad defectionem suamq; societatem pertraxerunt. quare Spartani cum in magnum venissent metum, pacè cum ijs per internuncios composuerunt, ea cõditione, ut receptis vxoribus, acceptaq; pecunia & nauibus discederent, alibiq; agrum & urbem nacti, coloni Lacedæmoniorum cognatiq; haberentur. Fecerunt hoc Pelasgi, Polli duce & fratre eius Crataida Lacedæmonijs. ac pars quidem eorum in Melo sedem fixit: plerique cum Polli in Cretam nauigarunt, oraculiq; euentum periclitati sunt. responsum enim fuerat, vbi deam & anchoram amisissent, fore finem errorum, ibiq; eis esse urbem condendam. Cum ergo ad locum Crete, qui dicitur Cheronesus (id est, peninsula) appulissent, noctu panici terrores oblati ijs sunt, quibus confecti tumuluarum festinatione naues cõscenderunt, relicto in terra Diane simulacro, quod à maioribus acceptat Braurone in Lemnum aduectum, &

à Lemno semper secum circumtuleraut. Cùm autè tumultu sedato nauigates id desiderarent, Pollis, qui simul etiam anchora vnguem d'esse senserat, (vi enim attrita anchora is in saxosis, vt apparet, locis abruptus erat) oraculū Pythiae finem suum conlequi iam dicens, signo dato nauigauit in Cretam, occupauitq; regionem, multisq; pugnis cum vicisset hostes, Lycium aliasq; vrbes in suam potestatem redactas incoluit. Itaq; Lycij & Atheniensiu se cognatos matrum causa ducunt, & Spartanorum colonos.

LYCIAE.

*Bellerophonis
fabula.*

Fabulosum est quod euenisse in Lycia dicitur, quanquam ei fama testimonium ferat. Sic autem narratur. Amisodarus, quem Isaram Lycij nominat, ex colonia Lyciorum quae apud Zeleiam erat cum nauibus venit piraticis, duce Chimaro, homine bellicoso, caeterum crudeli & effero. eius nauis in prora leonis, in puppi draconis habebat in signe: Multum is mali fecit Lycijs, infestumque habuit mare, vt neque nauigari hoc, neque maritima vrbes habitari possent. Huc cum interfecisset Bellerophontes, fugientem Pegaso insectus, & Amazones quoque eiecisset, nullam retulit ab Iobate gratiam, sed est ab eo iniustissime tractatus. Itaque ad mare accessit, ac Neptunum precatus est vt Iobatae regionem sterilem in utilemque redderet, votisque factis retrò discessit. Fluctus autem elatus terram inundauit: eratque atrox spectaculum, cum sublime mare sequeretur eum & agros occultaret. Cùm deprecantes viri Bellerophontem non mouerent, mulieres occurrerunt ei, tunicis sublatis corpora denudantes. itaque pra pudore eo retrò recedere, fluctus quoque (vt aiunt) simul recessit. Alij fabulam vitantes, non execrationibus mare ab eo adductum dicunt: sed cum pinguisima pars planicie ad mare esset humilior, supercilium montium, quod praeter litus maris porrectum vndas atcebat, fuisse à Bellerophonte perruptum: cumque mare vi inferretur, & planiciem illuue regetet, viros Bellerophontem deprecando nihil impetrasse, mulieres autem facto agmine circumfusas obtinuisse, vt ipsas reueritis iram poneret. Sicut qui assument, Chimaram illam poetarum fabulis nobilitatam, montem omnino fuisse soli oppositum, in quem solis radij cum reflecterentur, & aestum vehementem ac quasi igneum in planiciem retorquerent, factum esse vt fruges marce-

Chimara.

marcescerent. Bellerophontem autem causa mali intellecta, præcipitij eam partem quæ erat læuissima, & maximè Solis radios reflectebat, excidisse. eumque eimò haberentur gratiæ, iratum ad vlciscendum Lycios se contulisse, à mulieribus autem fuisse placatum. Nymphis quarto de Heraclæa libro causa causam adfert à fabula maximè remotam. Aprum, qui in agro Xanthio animalia & fructus perderet, fuisse quem interemptum à Bellerophonte, neque ei vllam relatam gratiã. Itaque eum Xanthios fuisse execratum, impetratæque vt totum solum saluginem emitteret, terræque; amare in dito omnes fruges corrumpentur. idque durasse, donec mulierum vltus reuerentia deprecantium, Neptunum exorauerit vt finem iræ faceret. Atque hinc legem esse apud Xanthios, vt nõ à patribus, sed à matribus nomina sumant.

Lex de nominibus.

15 SALMANTICÆ.

Cum Annibal Barcæ F. antequam bellum Romanis inferret, in Hispania Salmanticam urbem magnam oppugnaret, meruentes sibi oppidani, promiserunt imperata se facturos, daturusque; Annibali ccc. argenti talenta, & ccc. obfides, vt Annibal ab obsidione destitit, mutata Salmantici sententia promissis non steterunt. Itaque reuersus est, urbemque; diripiendam militibus proposuit. Ibi tum profus perterriti barbari, pacti sunt, vt liceret liberis corporib. discedere tunicatis, relicta urbe, armis, opibus, & mancipijs. At mulieres
 20 ratæ in viros inquisitum singulatim, se exploratum non iri, gladijs sumptis occultatisque; viros exeuntes comitatae sunt. Egressis omnibus Annibal custodiæ causa Masælylios addidit, inque suburbio eos his stipatos continuit. reliqui promiscuè urbem diripuerunt. Masælylij autem magnam agi
 30 prædam cernentes, continere se amplius, aut captiuorum custodiæ intenti esse non potuerunt: sed indignè suam ferentes sortem, ipsi quoque abtuerunt vt prædæ partem peteret. Interim mulieres viros suos exhortatae sunt clamore, eisque gladios tradiderunt. atque aded nonnulla ipsæ
 35 stodes lunt adorta: inter quas vna Bannoni interpreti hastam eripuit, eaque ipsum, quamuis thorace indutum, ferijt. viri alijs fugatis, alijs occisis, frequentes vnà cum mulieribus effugerunt. Annibal nuncio rei accepto insecutus, quos in fuga arripere potuit, necauit: reliqui montes cum attingissent, cæde euitata, postmodo supplicibus missis depreca-

deprecatoribus, gratia impunitatēque impetrata, in urbem ab eo sunt reducti.

M I L E S I A E.

Milesias virgines quodam tempore, atrox animi & absurda incesit perturbatio. qua de causa, incertū: nisi quod pu-
 tabatur aeris temperies veneno infecta, & ad insaniam excitandam parata, mutationem istam animorum atque abalienationem effecisse. Subitō omnes mortis cupiditas, & ad vitam suspensio finiendam furiosus impetus egit. & multā clam̄ consecuta sunt quod volebant. Verba & lacrymā 10
 parentum, amicorūq; alloquia nihil agebant, sed sese interficiendis omnem ipsas custodientium industriam atque calliditatem vincebant. ita vt calamitas diuinitus immissa, & remedijs humanis videretur validior, donec quidam homo prudens legē promulgauit, quā iuberet omnes quæ sibi 15
 suspensio mortem consciuissent, nudas per forum efferri. Hæc lex sancita, non inhiuit modō, sed & omnino aboleuit illam qua virgines laborabant mortis cupiditatem. Magnū verō argumentum est bonæ indolis ac virtutis, metus ignominia; & quod nihil formidantes mortem ac dolorē, 20
 quæ omnium maximē terribilia habentur, turpitudinis tamen imaginationem nō pertulerunt, neq; sustinuerunt dedecus post mortem ipsis euenturam.

Verecundia.

C I A E.

Cianis virginibus mos erat, vt ad sacra publica coirent, 25
 diēmq; vna exigerent. proci autē ludentium & choreas ducentium spectatores erant: sub vesperam autem singularum domos adibant, inuicēmq; parentibus & fratribus inferuebant, aded vt pedes eorum abluerent. Sæpe eandem plures amabant, ita modestē atq; legitimē, vt puella vni desponsa, 30
 reliqui statim eam amare desinerent. Muliebris autem huius modestiæ, vt in summa dicam, hic fuit fructus, quod apud Cianos annorum 10 c. c. spacio neque adulterij vllius, neque virginitati oblatis extra matrimonium vitij mentio vlla fuit. 35

*Cassius a-
mor.*

P H O C I D E S.

Cūm Phocensiu tyranni Delphos occupassent, contrāq; eos à Thebanis bellum, quod Sacrum vsurpatur, gereretur: Baccho addictæ mulieres, quas Thyadas vocat, furore correpta, actaq; per noctē erroribus, imprudentes Amphissam
 vene-

venerunt: utq; erant defatigatae, nec dum ad sese redierant, corporibus sparsim in foro demissis obdormiuerunt. Amphissimum autem uxores verita, ne quia multi tyrannorum milites ea in vrbe, Phocensibus nimirum foedere iuncta, ad-
 5 erant, iniuria aliqua Bacchis fieret: in forum vniuersae procurrerunt, tacitaq; in orbem adstantes, neq; aggressae dormientes, somno solutis aliae alijs operam dederunt, cibumque obtulerunt, tandemq; à maritis hoc impetrauerunt, vt eas tutò deductas ipsae ad fines vsq; comitarentur.

10 VALERIA & CLOELIA.

Lucretiam, viri uxorem illustri & genere regibus propin-
 qui, vsus eius hospitio mulieris quidam de filijs Tarquinijs, eius qui cognomine Superbus, à Romulo septimus rex Ro-
 15 ma fuit, vi constuprauerat. hæc re amicis atq; necessarijs indicata, confestim seipsam iugulauit. Hoc flagitium, & virtus mulieris, Tarquinium regno eiecit. Pulsus cum alia multa gessit bella, conatus regnũ recipere: tum Porſenæ Etruscorum principi persuasit, vt magno cum exercitu ad Romã expeditionem faceret. Romani simul & bello & fame pref-
 20 ſi, cognito Porſenam non bello tantum, sed & iustitia atq; humanitate præclarum esse, arbitrium huic causæ Tarquinianæ detulerunt. Contumaciter hoc Tarquinio recusante, ac dicente Porſenam iustum arbitrum non fore, si in fide societatis non perſisteret: eo omisso Porſena hoc egit, vt Romanorum amicus, quem hi Etruscis ademerant agro, capti-
 25 uisq; receptis discederet. datis ei hanc ob rem obſidibus decem pueris, totidemque puellis, tametsi nondum confectis pacis, omnẽ statim belli apparatus dimisit. Virgines, quas obſides datas dixi, cum sub lauandi præſcriptione ad fluui-
 30 um aliquantulum lōgius à castris processissent, vna earum Cloelia ipsas exhortante, tuni culis circum capita alligatis, ausæ sunt fluuium vastum atque vorticibus profundis periculofum magno cum labore tranare, inuicem sese tenentes, ægrèq; vltiorem in ripam euaserunt. Sunt qui Cloeliã
 35 dicunt noctam equum, eo conscenso sensim transiisse, alijsq; natantibus ducem se præbuisse, & animum verbis adiecisse, opemq; tulisse. quo hi vtantur argumento, mox dicitur. *Fides ex-
 plum, et a-*
 cetur. Romani vbi eas saluas rediſſe videre, audaciam qui. *laud huma-*
 dem & virtutem admirati sunt, reditum tamen non proa-
 uerunt, neq; vinci se fide ab vno homine, sustinuerunt. Itaq; *mutatis.*
 additis

additis qui deducerent in castra eos Porſenæ remiferunt. cum tranſiſſent fluiuium, parum abſuit quin per inſidias a Tarquinio interciperentur. conſulis tamen Poplicolæ filia Valeria cum tribus famulis occupauit in caſtra Porſenæ eſſe fugere: reliquas Porſenæ F. armis ſtatim ſuppetijs lais ex hoſtibus eripuit. Adductas ad ſe conſpicatus Porſena, quaſiuit quanam autor fuiſſet huius conſilij. tum Clælia, reliquis, quod ei metuerent tacētibus, ipſa de ſeſe indiçiū profeſſa eſt. Magna autem admiratione permoſus Porſena, equum egregiè ornatum adduci iuſſit, eo Clæliam donauit, 10 vniuerſasq; benignè & humanè ſuis remiſit. Hoc ſigno multri docere volunt, Clæliam equo amnem traieciſſe. Alij hoc negant. ſed Porſenam aiunt, virtutem eius audaciãmq; muliebri maiorem admiratum, dignatum eſſe dono quod bellatori conueniret viro. Sanè equeſtris ſtatua poſita eſt mulieris in via ſacra. ab alijs ea Clæliæ, ab alijs Valeriæ attribuitur.

MICCA & MEGISTO.

Ariſtotimus auxilio regis Antigoni tyrannide, quam in Eleos occupauerat, conſtabilita, iniquè admodum atq; immoderate ſua vſus eſt potentia. quippe homo natura ferus, barbarisq; ſtipatoribus corpus tyrannidemq; eius tutantibus conuenis ſeruiens præ metu, multa ab ijs in ciuēs contumelioſè, multa crudeliter facta diſſimulabat. Quo in numero fuit Philodemi calamitas. Huius enim filiam formoſam, Miccam nomine, quidam tyranni peregriniſ militibus aliquor dux præfeſtus Lucius, contumeliæ inferendæ magis ſtudio quàm amore ductus cum cuperet corrumpere, miſit qui eam accerſeret. Parentes quidem neceſſitate animaduertentes, ire eam iubebãt. Micca veid, vt erat generoſa indole, animoq; magno, patrem amplexa ſupplexq; obſecrare, pateretur potiùs mori ipſam, quàm ita turpiter atq; iniuſtè virginitate ſpoliari. Interiecta mora, ipſe Lucius libidine ac vino ebrius, inter potandum proſiluit iratus. cumq; Miccam inueniſſet caput inter patris habentem genua, ſequi ſe iuſſit, detrectanti veſtè deripuit, flagrisq; eam cecidit, tacitè dolores perferentem, cum pater & mater poſtquã depreccando & ſtendo nihil ſe proficere ſentirent, deos hominèsq; reſtarentur atrociam ſe & iniqua pati. tandè barbarus ira & crapula planè in furorem actus, virginem, vt in patris tum ſinu faciem

faciem habebat, confodit. Neq; hoc animum tyranni flexit
 facinus. sed & multos interfecit, & plures ijs in exsiliū eie-
 cit. nā octingenti ad Ætolos venisse dicuntur extorres, fla-
 gitantes vt se in vxorib. & liberis a tyranno auferendis iua-
 5 rent. Paulo pōst Aristotimus vltiū proposuit edictum, quo
 mulierib. si quæ vellēt, permittebat proficisci ad maritos, ac
 de dotalibus bonis quantum vellent secum ferre. Vbi sensit
 omnibus gratum esse hoc edictum, (nam amplius pō. c. erāt
 quæ se ad iter parabant) diem definiit ad quam confertim
 10 irent, tutum se iter ipsis præbiturū simulans. Cū dies appē-
 tijset, & mulieres ad portam cōuenirent, pecuniāq; con-
 gegerent, & pueros alie in vlnis gestarent, aliq; currib. impo-
 nerent, ac se inuicem præstolarentur: subitū multi a tyrāno
 immisi satellites, eminus clamore elato eas manere iulle-
 15 runt: cū autem appropinquassent, mulierib. vt retro abi-
 rent imperauerunt, currūq; & vehicula inuertes per ipsas
 retro impulerunt nihil cuiquā parcentes, & neq; abire, neq;
 manere, aut infantib. opitulari sinentes: quorum alij curri-
 bus exidentes peribant, alij curribus superuchentibus de-
 20 lapsos elidebantur, deniq; eas vniuersas cum clamore & fla-
 gis tanquā oves mutū sese trudentes & euertentes in car-
 cerem compulerunt, & pecuniā ad Aristotimum retulerūt.
 Hanc rem cū grauiter ferrent Elei, Baccho sacra mulie-
 res, quas sedecim vocant, supplicibus ramis & stemmatibus
 25 dei sumptis in foro obuias sese Aristotimo tulerūt, deceden-
 tib; ob reuerentiam stipatoribus, tacita primū adsti-
 terunt, supplicatorias frondes prætendētes. At Aristotimus,
 simul atq; deprecari eas pro mulieribus sensit, stipatoribus
 iratus & cum clamore exprobrans q̄ eas passi essent accede-
 30 re, effecit vt alias trudendo, alias verberando è foro exige-
 rent. vnamquaque porò duobus talentis multauit. His
 ita actis, Hellæus Elide consilium de opprimendo tyran-
 no agitauit, re cum alijs composita: homo quem vt senem
 & duobus filijs orbatum, ideòque nihil quicquam acturum
 35 tyrannus negligebat. simul etiam exsules ex Ætolia trai-
 cientes, in agro Eleo Amymonam locum commodam ar-
 cem bello futurum occuparunt, complurēque ciuium Eli-
 de profugientes ad se receperunt. Aristotimus, cui metum
 ista obijciebant, ad captiuas se contulit, rēmq; retrendo se
 facilius quam gratia confecturum ratus, mandauit vt missis
 ad mari-

ad matris litteris discedere ex ea regione iuberent: ni facerent, vniuersas se contumeliosè vexatas necaturum, liberis autè interfectis, minitans. Cùm aliquandiu inflaret atq; dicere iuberet an facturæ essent quod postulabat, reliqua nihil respondentes, intuitæ sunt sese mutuo, tacita inuicè beneuolentia significâtes, nihil se metuere, neq; minis his tererent. At Megisto Timoleontis vxor, & cùm inariti, tum propriæ virtutis causa cæterarum facillè princeps, non dignata affurgere, neq; reliquas passa, sedens tyranno respondit: Si vir esses cordatus, non vtiq; de viris cum mulieribus colloquereris: sed ad ipsos, vt qui in nos ius habent, misisses meliori inuenta oratione, quam qua nos decepisti. quod si autem desperato teijs persuasurum, nostra opera imponere illis moliris: neq; sperare debes te nobis denouo verba daturû, & absit tam nullius ij consilij vt sint, vt dum parcant mulieribus & infantibus suis, patriæ prodant libertatè: non enim tantum mali est nos amittere, quibus quidem alias carent, quantum boni est ciues tua sæuicia & insolentia liberare. Hæc fata Megistone Aristotimus animi impos, filium eius adferri illud iussit, ante oculos matris eum necaturus: quæ cùm quæterent ministri inter alios ludentem & lucta se exercentem, mater eum nominatim vocâs: Ades huc, inquit, fili, & antequam sentias ac intelligas, liberare acerba tyrannide. mihi enim difficilius fuerit seruientè te indignè, quam morientem cernere. Aristotimum verò stricto gladio ipsam iam matrem impetiturum, iraq; concitum in eam ruentem, Cylo vnus de familiaribus, cui tyrannus fidem habebat, cùm quidem is ipsum odisset, sociusque factæ ab Hellanico conspirationis esset, restitit, eumque auertit orans, monensq; Indignum fore hoc ipso, & muliebrem factum, non conueniens principi viro & rerum gerendarum gnaro. itaq; vix tandem Aristotimus, cùm ad se redijset, in eam abijt. Magnum verò ostentum ei factum est. Cùm enim meridie cum vxore cubaret, prandiûmq; esset paratum, visa est aquila in aere se librans supra domum, ac quasi prudens & dedita opera lapidem iustæ magnitudinis in eam partem tecti dececit, vbi erat cubiculum in quo iacebat Aristotimus. simul autem desuper ingenti sonitu existente, & foris clamore sublato ab his qui auem viderant, perterritus tyrannus re cognita vatem acciuit, quo solebat assiduè in foro vti, perturbatûque

*Fortitudo
mulieris.*

Ostentum.

que interrogavit quid isto signo portenderetur. Vates bo-
 no ipsum esse animo iussit, quòd excitatus & adiuuus esset à
 Ioue. civium autem quibus fidebat, ijs dixit, vindictam ty-
 ranni capiti impendere, ac iamiam illapluram. Itaque et-
 iam Hellanico visum est nò cunctandum, sed postridie rem
 gerendam. Nocte ista Hellanicus per quietem imaginatus *Somnium.*
 est alterum filiorum suorum mortuorum sibi aditare, ac di-
 xisse: Pater, quid tibi accidit vt dormires? cras te civitatis
 ducem esse oportet. Hoc ille somnio confirmatus, socios ad
 10 institutum exequendum cohortatus est. Et Aristotimus au-
 dito Craterum auxilij sibi ferendi gratia Olympiæ cum ma-
 gno exercitu castra habere, tantum concepit audaciæ, vt
 absque stipatoribus in forum Cylone comitante descende-
 rit. Hellanicus occasione inspecta, tesseram, qua data ad
 15 irruendum suos è composito fuerat hortaturus, non pro-
 tulit: sed ambas intendens manus, clara voce, Quid cessatis,
 inquit, viri boni? præclarum est hoc theatrum in medio
 patriæ certaturis. Primus ibi Cylo ense stricto quendam com-
 mitam Aristotimi ferijt. Thralybulò autem & Lampide ad-
 20 uersis sese ei inferentibus Aristotimus fuga in Iouis templù
 euasit. Heic eum interfecerunt, & cadauere in forum pro-
 tracto, ciues ad libertatem vocarunt. Neque verò multum
 anteuertentur mulieres suas. statim eæ procurrerunt cum
 gaudio & eiulatu, virisque circumfusæ eos coronauerunt.
 25 Deinde multitudine ad tyranni domum conflente, vxor
 eius cubiculo clauso sese suspendio vita eduxit. Erant tyran-
 no duæ filia, virgines adhuc & forma pulcherrima, iamque
 nuptijs tempestiuæ. has Elei captas foras protraxerunt, om-
 nino quidem necaturi, sed prius exercuciare ac contumelijs
 30 afficere volentes. Quibus occurrens cum alijs Megisto vo-
 ciferata est, Indignum verò eos facinus meditari, qui popu-
 lum se profitentes liberum, facinora libidinosorum tyran-
 norum imitentur. Multis dignitatē mulieris reuerentibus,
 liberè loquentis ac plorantis, placuit omissis contumelijs,
 35 ipsis vita sese exuendi permittere potestatem. Cùm intrò ad-
 ductas virgines iussissent absq; mora necem sibi conscisce-
 re, maior natu Myro cùm zonam solutam collo circumde-
 disset, sororem consalutauit, hortatæque est vt se imitaretur,
 ne, inquam, abiectè nobisq; indignè finiamus vitam.
 Iunior precante vt sibi prius morièdi copiam faceret, cin-
 gulum-

gulumque apprehendente, Neque antè, inquit, quicquam tibi oranti denegavi, & nunc hanc quoque tibi facio gratiam. ego autem id, quod morte ipsa mihi est grauius, tolerabo, spectans te carissima me prius morientem. Proinde cum docuisset forem cingulo ceruicem elidere, vt mortuam vidit, deposuit atque texit ipsa autem Megistonem orauit, vt curam sui gereret, neque pateretur mortuam se indecorè collocari. Itaque inter eos qui aderant nemo fuit ita acerbus, nemo ita infensus tyrannis, qui nõ defleret aut miseraretur virginum egregiam indolem. Hæc exempla rerum 10 à mulieribus publicè præclarè gestarum de innumeris pauca heic sufficiant. Singularum autem pulchra facinora partim vt sese nobis offerent referemus: nihil arbitrati temporum ordine præsentem indigere narrationem.

PIERIA.

15

Ionum, qui Miletum se contulerant, nonnulli ob naram cum Nelei filijs discordiam Myuntem sunt profecti. quibus ob defectionem Milesij bellum multaque damna intulerunt. Neque tamen id bellum omnino inducijs commercijsq; carebat, sed quibusdam festis diebus mulieres Myunte Miletum commeabant. Erat inter Myuntios Pythes quidam vir illastris, eique vxor Iapyra, filia Pieria. Is cum festiuitas Mileti in honorem Dianæ esset, & sacrificium, quod Neleium dicebatur, eò vxorem & filiam misit, precatas vt ei se pateretur interessè festiuitati. Ibi Phrygius Nelei filiorum 25 potètia primus amore Pieriæ flagrans, cogitare cœpit quidnam præstare posset ei quam maxime gratum. illa verò significauit, nihil sibi fore acceptius, quam si efficeret, vt frequenter sibi Miletum & multis comitata venire liceret. Sen sit Nymphius, amicitiam suis eam ciuibus ac pacem expe- 30 tere, bellumq; pacauit. Ex eo celebris vtraq; in vrbe, inq; honore fuit Pieria: ac mulieres Milesiæ etiamnum optant ita se amari à viris, vt Pieriam amauit Phrygius,

POLYCRITA.

Propter Nearam Hypsiceontis Milesij vxorem bellum 35 inter Naxios & Milesios ortum fuit. Ea enim cum amaret Promedontem Naxium mariti sui hospitem, corpus cum eo miscuit, veritatem iram mariti, cum eo in Naxum nauigauit. Eam Promedon supplicem Vestæ collocauit. Naxijs autem mulierem sub præscriptione supplicationis in gratiam

tiam Promedontis non deditibus, bellum quod dixi, conflatum est. Milesijs cum alij multi, tum Ionum studiosissime Erythraei auxilia tulerunt, bellumque hoc tractum magnis calamitatibus, tandem virtute mulieris finitum est, sicuti coeperat mulieris ob prauitatem. Diognetus Erythraeorum dux munitionem quamdam sibi commissam tenebat, opportunè admodum contra Naxiorum urbem sitam. itaq; & magnam Naxijs prædam abstulit, & mulieres ac virgines liberas. Harum vnam, nomine Polycritam, amore captus, secum
 10 non vt captiuam, sed vxoris loco habuit. Euenit vt in castris Milesiorum dies ageretur festus. ibi cum omnes poculis essent ac conuiujs dediti, rogauit Diognetum Polycrita, vt liceret sibi fratribus partes placentarum mittere. cumque is permitteret ac iuberet, plumbeam tabellam placenta inseruit, mandato ei qui eam fratribus adferebat, vt solos vesci iuberet fratres ijs quæ mittebat. Hi cum offendissent tabellam, & legissent quæ scripserat Polycrita. (hortabatur autè vt noctu hostes adorirentur, ob ebrietatem festo die cõtractam planè socordia dissolutos) rem ducibus Naxiorum significauerunt, & permouerunt vt secum exirent rei gerendæ causa. Occupato à Naxijs castello, multisq; hostium interfectis, Diogneto precibus Polycrita à cuius impetrauit salutem. Ipsa autem ciuibus ad portam occurrentibus magno cum gaudio, collaudantibusq; & ferra ferentibus, magnitudine latitiæ exanimata, in ipsa porta concidit mortua. atque ibi sepulta est, & monumentum eius vocatur Liuoris tumulus: quod inuidia quadam fortunæ fascinata Polycrita putaretur meritis honoribus non potuisse frui. Hæc Naxiorum historicorum est narratio. Aristoteles captam
 30 Polycritam fuisse non dicit, sed conspectam à Diogneto, sui eum amore irretuisse, ipsumque promississe omnia se, vt eâ potiretur, dare ac facere paratum esse, at Polycritam se ad ipsum venturam pollicitam, si vnicum quippiam ab eo obtineret, fuisse. cumque id iureiurando interposito Diognetus confirmasset, tradi sibi Delium postulasse, (id enim castello nomen erat) saliter se morem gesturam ipsi negasse. victum amore Diognetum, & iureiurandi per mortum religione, Polycritam castellum, hocque eam ciuibus tradidisse. Ita Naxios rursum Milesijs pares vitibus factos, pacem in suas leges confecisse.

Astusè factum.

Mors ex gaudio.

Codrida genere, patria Phocænses fuerunt duo gemini fratres Phobus & Blepsus. quorum Phobus primus a Leucadibus petris in mare se dedit, vt Charo Lampfacenus scriptum reliquit. Is Phobus, vir potentia & dignitate præditus, regia, cum nauigasset Parium suorum causa negotiorum, amicitiam & hospitij ius contraxit cum Mandrone Bebrycum rege, eorum qui Pityoessenes cognominantur, eique à vicinis bello infestato auxilium tulit. Mandro autem nauibus auhenti Phobo cum alta detulit officia, tum partem 10 vrbis agrique largiturum se promisit, si Phocæorum coloniam liberet Pityoessam deducere. Phobus cum id consiliū ciuibus probasset, fratrem misit, qui colonos eò deduceret. Stetit sanè promissis Mandro. Sed Phocæi, cum spolijs præda, opibusque magnis è finitimis barbaris potirentur, inuisi 15 si primum, post etiam terrori Bebrycibus fuerunt. Cupientes itaque ijs liberari, cum Mandro homo probus & iustus persuaderi sibi non pateretur vt mala fide cum Græcis ageret, peregrè eo profecto moliti sunt, quomodo eos per dolum necarent. Lampface autem Mandronis filia virgo, cum 20 insidias prænosset, primum à facinore hoc amicos & domesticos auertere dictis aggressa est, impiã docens eos rem & atrocem perpetraturos, si benefactores, & quorum auxilijs in bello vsi essent, eosque iam ciues, interficerent. vbi non persuasit, occultè Græcis quid ageretur detexit, vtque sibi 25 cauerent monuit. Phocæi sacrificio quodam & cõuiuio apparato, Pityoessenos in suburbium euocauerunt: ipsi in duo diuisi agmina, altero urbem occuparunt, altero homines trucidauerunt. Sic vrbe potiti, Mandronem acciuerunt, vt de suis consilium vnã caperet: Lampfacenque cum ea ex in- 30 ualitudine mortua esset, magnificè in vrbe sepeliuerunt, cui & ab eius nomine Lampfaci nomẽ imposuerunt. Vt autem Mandro proditiõnis vitans suspicionem, habitare cum ipsis recusauit, petijtque vt mulieres liberique defunctorum ad se mitterentur: Phocæi absque omni maleficio studiosè 35 eos miserunt. & Lampface cum initid heroicos honores habuissent, postmodò vt numini sacrificandum decreuerunt, idque decretum adhuc ratum est apud eos.

A RETAPHILA.

Arctaphila Cyrenæa, non ita prisca fuit, vt quæ belli Mithrida-

thiditatei tempore vixerit: sed virtute & rebus gestis com-
 parari cum heroidibus posse meruit. Filia fuit Aglatoris, v-
 xor Phædimi, illustrium virorum, forma egregia, prudentia
 singulari, & rerum ciuiliū dextrè gerendarum non igno-
 5 ra. Hanc communes patriæ calamitates illustrem reddide-
 runt. Nicocrates enim occupata in Cyrenæos tyrannide,
 cū alios ciuium multos interfecit, tum sua manu Mela-
 nippum Apollinis sacerdotem, idque sacerdotium ipse in-
 uasit. Maritum quoque Aretaphilæ Phædimum interemit. *Tyrānidis*
 10 & ipsam inuitam vxorem duxit. In finitis alijs contra leges *singulare*
 institutis adiecit hoc. custodes ad portas vr̄bis cōstituit, qui *exemplū.*
 mortuos quotquot efferrentur violarent, mucronibus eos
 pungentes, & materiam ardentem applicantes: ne quis ci-
 uium sub mortui specie clam efferri vr̄be posset. Enimuerd
 15 Aretaphilæ cū propriæ calamitates molestæ erant: (quan-
 quam tyrannus ob amorem ipsius, quo subactus erat, maxi-
 ma potentiæ parte frui eam sineret, mulieriq; huic soli ciu-
 rem & māfuetum se præberet, durissimus alioqui & efferus)
 tum apprimè patriæ vicem dolebat, indignis modis atrociam
 20 patientis. Iugulabatur enim ciuium vnus post alium, neque
 erat vnde vlto speraretur: cū exsules timidi planè atque
 infirmi, hinc inde dispersi essent. Itaque Aretaphila spes pa-
 triæ in se solam recipiens, æmulatione quadam Thebes
 25 Pheræ pulcrorum egregiorūque conatum, adiutori-
 bus tamen fidelibus & domesticis (quales huic res ipsæ sug-
 gesserunt) destituta, venenis maritum interficere aggressa
 est. Quam ad rem dum se parat, materiam cogit, & vires pa-
 ratorum periclitatur, non fefellit delato indicio. & argu-
 mentis perquisitis, Calbia Nicocratis mater, scemina ad cæ-
 30 des natura procliuis atque implacabilis, censuit statim in-
 terficiendam esse, prius tamen contumeliosè tractatam, A-
 retaphilam. Nicocratis autem iræ moram iniiciebat virēs-
 que adimebat amor: eiq; affectioni excusationem parabat,
 quod Aretaphila animosè criminibus se opponebat, & sese
 35 defendebat. Quæ vbi vidit se conuinci, neque locum esse ve-
 neficij negandi, falsa venenum se, non tamè exitiale, para-
 se: magnis, inquit, est mihi de rebus certamen. qua enim glo-
 ria fruor, quaque potentia ob tuam erga me benevolentia,
 ea me inuisam multis reddidit malis mulieribus. quarum e-
 go metuens veneficia & technas, animū induxi contra que-

dam moliri: fatua fortassis, & muliebria, mortis tamen non digna supplicio. nisi fortè tibi iudici vidèbitur vxor interficienda amatorij gratia venefici, quod amplius, atq; tu velles, diligere voluerit. Vilum est Nicocrati Aretaphila hoc modo se defendentem quæstioni subijcere, præsentem tormentis Calbia immiti implacabilique muliere. At enim Aretaphila in cruciatibus ita sibi constitit, adeoque inuictam se præbuit, vt ipsa tandem Calbia inuita & defatigata concesserit, ac Nicocrates fide innocentiz sibi facta, missam vxorem fecerit, torturæque pœnitentia ductus sit. Exiguo autè 10 intermisso tempore, statim amore superatus ad eam venit, beneuolentiámque blandicijs & honoribus reparans, eius vsus est consuetudine. Illa verò, quæ tormentis ac doloribus nihil fracta esset, demerendo se euerit passa non est: sed ad studium honestatis accedente quadam pulcri propositi tenendi peruicacia, rem alia via instituit aggredi. Filiam habebat satis elegante forma, & iam viro maruram, hanc tyranni fratri Leandro submitit, vt eum inesceret, adolescentem qui voluptatibus propositis facile caperetur. fama tenet, Aretaphilam præstigijs & veneficijs vsam ita comparasse filiam, vt adolescentem ei manciparet, ac de sana mentis vsu dimoueret. Postquam in casses incidit, precibusque multis à fratre impetrato matrimonio est potitus: partim eum puellâ à matre docta instigare ad libertatè ciuitati reddendam, quando in tyrânide ne ipsi quidem liberè esse, aut du- 15 cendâ retinendæ vxoris potestatem habere liceret: partim amici Aretaphilæ gratificantes subinde calumnias ei aduersus fratrem aliquas & suspiciones suggerere. Leander vbi Aretaphilam sensit eadem consilia tractantem, negocium aggressus Daphnidem famulum subornauit, qui Nicocratem iussu ipsius necaret. Deinceps autem Aretaphilæ animum non aduertit, sed factus illicè demonstrauit fratricidam se esse, non tyrannicidam: cùm stolidè & insolenter rebus præfesset. Erat tamen Aretaphilæ suus apud eum honor atque potentia, non inimicam se gerenti, neque palam 35 repugnant: sed occultè suas res disponenti. Ea primùm aduersus Leandrum concitauit bellum Africum, pellecto Anabo quodam regulo ad incutendam regionem hostilitèrque ad urbem accedendum. Deinde amicos & duces apud generum culpauit, vt ad bellum non alacres, sed pacem ma-
gis

Callidè.

gis quietemque requirentes. quam quidem etiam flagitare tyranni res aiebat, si firmum in ciues vellet obtinere imperium. se quoque promittebat pacificationem cōfecturam, & Anabum ad colloquendas cum eo res adducturam, si ita iuberet, priusquam immedicabile aliquod damnum eo ex bello acciperetur. Mandante sic ut ageret Leandro, prius ipsa cum Afro est collocuta, magnisque donis & multa promissa pecunia impetrauit, ut tyrannum ad colloquium venientem à se comprehensum iri polliceretur. At verò Leander cunctari, & tamen verecundia Aretaphilæ, interfuturam sese colloquio dicentis, permotus, absque armis & præsidio exire: ac ubi propius accessisset, conspecto Anabo tergiversari, & stipatores operiri cupere. locus contra præsens eum quæ cohortari, qua inculcare: ac tandem cum mora neceretur, manu iniecta audacter planè ac protervè ad barbarum adducere, eique tradere. Leander confestum abreptus ab Afris, comprehensus, vinculusque est adseruatus, donec promissam mercedem Aretaphilæ amici, comitibus reliquis, ciuibus, attulerunt. Horum enim pleriq; re nunciata, ad locum colloquio destinatum excurrerunt: & conspecta Aretaphila, parum abfuit quin ira in tyrannum oblii, supplicium de eo sumere alijs rebus posthaberent. atq; ad id primum hunc libertatis ceperunt fructum, nihilq; aliud eo duxerunt antiquius, quàm ut eam lati stentèsq; salutarèt, tantam simulacro alicuius dei circūfusi. alijs autè supra alios affluētibus, vix tandem sub vesperam recepto Leandro in urbem reuerterunt. Ibi postquam honoranda & laudanda Aretaphila cupiditati suæ satisfecerunt, ita demum ad tyrannos conuersi, Calbiam viuam cremauerūt, Leandrū culleo insutum in mare abiecerunt. ab Aretaphila autem contenderunt, ut gerendæ gubernandaq; reipub. sociam sese adiungeret optimatibus. Illa verò, tanquam si variâ & multis cōsultantem partibus in theatro fabulam vsq; ad coronæ donationem peregisset, simul atq; liberam esse vidit civitatē cōtinuò in gynæceum sese recepit, omnīq; rebus tractandis se admiscendi repudiato studio, reliquum ætatis inter stamīna cum amicis & familiaribus exegit.

C A M M A.

Inter Galatiæ tetrarchas potentissimi erant Sinatus & Sinorix, genere etiam inuicem propinqui. Erat Sinato vxor,
quam

quam virginem duxerat, Camma nomine, non formę duntaxat præstantia & ætatis flore spectabilis, sed multo magis ob virtutem in admiratione habita. nõ enim pudica modò & mariti amans fuit, sed & prudens & magnanima, ac propter mansuetudinem benignitatẽmq; subditis mitiscẽ accepta. augebat etiam splẽdorem, quòd Dianę, quam deam maximè colunt Galatę, sacerdos, semper in sacris pompis & apud sacrificia magnificè ornata spectabatur. Eã cum deperiret Sinorix, & neq; pellicere neq; vim facere viuo marito posset, facinus ausus immane, Sinatum dolo necauit: exiguòque interposito temporis spacio, Cammam ambiuit, in fano frequenter degentem, casumq; mariti non abiectè aut miserabiliter, sed animosè ferentem, prudentèrque intentam occasione vlciscendi Sinorigis. Is verò assiduus ambiebat mulierem precibus, videbatũrque ei non profus deesse honesta in speciem oratio: alijs se in rebus præstantiorem fuisse Sinato, ac interfecisse eum non malicia, sed amore Cammę impulsũ. Illa inidò non admodum asperè denegare, ac deinde paulatim molliori videbatur. nam & amici ac familiares instabant, Sinorigem cuius maxima erat potentia demerentes, suadebantq; vt assentiretur & vrgeret. Tandem concessit Camma, & ad se venire Sinorigem iussit, vt coram dea matrimonium stipularentur inuicem. Venientè blandè excepit, & ad aram adduxit, cùmq; deę libasset è patera, reliqui partem ipsa hausit, partem ei ebibendam propinavit: erat autem mulsũ veneno infectũ. Postquã bibisse eum vidit, claro sublato eiulatu deam adorans: Te, inquit, venerandissima dea, testem inuoco, huius me dici causa vitam à morte Sinati produxisse, tanto tempore nullum ex ea fructum adeptam præter spem vltionis. quam consecuta nunc ad maritum meum descendendo. Tibi verò omnium scelestissime hominum, loco thalami & nuptiarum apparèe sepulcrum tui. Hęc cum audiuisset Sinorix, & agere iam venenum, corporiq; motum inferre sentiret, vehiculum descendit, vt agitatione & concussione sibi mederetur. statim autem eo relicto in lecticã se posuit, ac vesperi est mortuus. At Camma cùm per noctem durasset, audito eum viuendi finem fecisse, lato animo exspirauit.

STRATONICA.

Eadem Galatia Stratonicam Deiotari, & Chiomaram Orta.

Otiagontis vxores protulit, dignas memoratu. Stratonica cum esset sterilis, maritumq; legitimos liberos, quos heredes regni relinqueret, desiderare sciret, persuasit ei, vt alia ex muliere prolem susciperet, sibiq; eam subderet. Deiotaro sententiã admirante, vxorisq; arbitrio rem totam permitte-
 5 sentente: formosam ea ex captiuis virginem Electram nomine adornauit, & Deiotaro copulauit: natosq; ex ea liberos tanquam suos amanter ac magnificè educauit.

CHIOMARA.

10 Quo tempore Romani duce Cn. Manlio vicerunt Gallos Ataticos, qui iisdem Gallogræci dicuntur & Galatæ, vsu venit Chiomara vt inter alias ipsa quoque duceretur captiua. Qui ea potitus erat centurio, homo & libidinosus & auarus, pudicitia eius vim fecit. Victus deinde pecunia cupi-
 15 piditate, cum mulier corporis sui liberandi gratia magnam ei vim auri pollicita esset, eduxit eam ad locum, qui amne secabatur. hunc cum transuissent qui eam redemptum venerant Galatæ, datoque auro Chiomaram receperunt, vni eorum illa innuit, vt centurionem, qui ipsam tum ample-
 20 ctens valedicebat, percuteret. cumque is paruisset, & caput occiso amputasset, Chiomara id gremio inuolutum secum abstulit, cumque ad maritum venisset, ante eum proiecit. & mirante eo, ac dicente, O mulier, præclara res est fides: omnino, inquit: sed id pulchrius est, vnum tantum viuere,
 25 qui mecum rem habuerit. Cum hac muliere Polybius scribit se collocutum Sardibus, miratumque fuisse animi magnitudinem eius ac prudentiam.

MVLIER PERGAMENA.

Mithridates Galatarum præstantissimos LX. sub amicitia specie Pergamum euocatos, cum tractaret contumeliosè ac pro imperio, omnesq; id indignè ferrent: Toredorix Tosioporum terrarcha, vir & corpore robustus, & animo magno præditus: in se recepit, velle se Mithridatè, quando is in gymnasio pro tribunali sedès ius diceret, arceptum
 35 cum tribunali in conuallem præcipitare. Cum forte fortuna Mithridates in gymnasium ea die non ascendisset. Galatæq; ad se domum suam vocaret: bono idem animo suos esse iussit, cumq; conuenissent, vndique in eum impetum facere, corpusq; eius diuellere. Non fessit hoc Mithridatem, sed re ex indicio cognita Galatæ vnum post alterum iugulandos

tradidit. Deinde recordatus adolescentis inter eos cuiusdā,
 qui elegātia formæ reliquis antecedebat aequalibus omni-
 bus, miserabatur eum, ac factum mutabat, satisq; præ se fe-
 rebat, ægrè se interitum eius ferre, quem inter primos neca-
 tum fuisse putabat. misit tamen qui viuū relinqui iuberet, si
 nondum periisset. Nomen adolescenti Bepolitanus erat: eiq;
 mirabilis casus cuenit. cū enim comprehenderetur, pul-
 cram & preciosam gestabat vestem, quam dum sibi puram
 à sanguine seruare cupit carnisefex, ideòq; paulatim detrahit,
 vidit regis nuncios accurrere, nomen Bepolitani clamātes: 10
 Ita huc auaritia, quæ multos perdidit, in speratam attulit
 salutem. Toreadorix autem occisus, & sepultura cadaueri
 projecto negata est. Muliercula autem Pergamena, cum
 qua is viuus consueuerat, ausa est mortui corpus compo-
 nere & humare. quam custodes deprehensam ad regem ad- 15
 duxerunt. Fertur tanè Mithridates aliquātulum fuisse con-
 spectū puellæ affectus, cū iuuenula planè simplex vide-
 retur: magis tamen inflexit animum, quod causam ei faci-
 noris fuisse amatoriam audiebat. itaque ei permisit, vt ve-
 stitu & ornamenti de bonis ipsius sumptis auferret ac sepe- 20
 lired Toreadorigem.

TIMOCLEIA.

Theagenes Thebanus de ciuitate eandem cum Epami-
 nonda, Pelopida, aliisq; optimis viris sectatus sententiā, in
 cōmuni Græciæ ad Charoneam clade occubuit, cū iam 25
 vicisset & persequeretur sibi oppositos. Is enim fuit, qui vo-
 ciferanti, Quousq; persequeris? respōdit, Vsq; ad Macedo-
 niā. Mortuo ei soror supersuit, quæ testaretur & ipsum vir-
 tute generis & natura magnū illustrēmq; factū virum. huic
 tamen mulieri cōiugit fructū percipere suæ virtutis præcla- 30
 rum, vt tanto facilius ferret quantum in ipsam ex publicis
 redundauit calamitatibus. Cū enim Thebas in potesta-
 tem redegisset Alexāder, aliisq; alias vrbis partes peruagan-
 tes diriperent, domū Timocleæ occupauit homo nihil mi-
 nus quam modestus, sed insolenter iniurius atque stolidus, 35
 Thraciæ cuiusdā turmæ dux, Alexātri cognominis, sed
 planè cetera dissimilis. Is neque genus, neque vitam mulie-
 ris reueritus, cū sese vino impleuisset à corna, dormire Ti-
 mocleam secum coegit, neq; hunc iniuriarum finem fecit,
 sed præterea aurū argentūmq; requirebat, si quid horum ea
 reconditi

reconditi haberet, adhibitis partim minis, partim pollicitationibus, quòd habiturum se eam perpetuò vxoris loco diceret. Illa ansam ab eo sibi præbitam arripiens: Vtinam verò, inquit, hanc noctem mors mea anteuertisset: vt omnib. rebus perditis saltè corpus cõrumeliæ in expertu conseruassent. nunc quando res ita acta est, & te diuinitus mihi tutorem, dominum, viũmq; datu existimare debeo, nõ spoliabo te tuis rebus. nam me quidẽ id futuru video, quod tu vuleris. Habui mundu muliebrẽ, & pocula argentea, non nihil etiã auri & nomismatis. cùm aut vrbs caperetur, ancillis mandauit vt omnia cõuasarent, abieciq; aut potius deposui in puteu aqua carentẽ paucisq; notu. est enim tectus operculo, vmbrosuq; circa nemus occultat. Hæc tibi accipienti fausta sint: mihi quidẽ apud te erunt argumẽta & indicia fortunaru ac splẽdoris familiarum mear. His auditis Macedo, non expectata die cõfestim ad locu perrexit ducẽte Timoclea, ac hortu claudi iussit ne quis sentiret, tunicatusq; in puteum descendit. Horribile autẽ cum ducebatur ad supplicium Parca, irogante id Timoclea superne enim adflans, cùm de voce sensit eum in imo esse, multos ingessit lapides, multos etiã magnosq; aduolutos ancille iniecerunt, donec eum contuderunt atq; obruerunt saxis. Macedones vbi de ea re facti sunt certiores, sublato cadauere, cùm iam editu esset ne quis Thebanoru occideretur, captã Timocleam ad regem adduxerunt, facinusq; narrauerunt. Alexander ex vultu constantia, lentq; incesu grauitatem generosamq; indolẽ ratiocinatus, principio quæsiuit quãnam esset mulier. Illa verò impuidẽ proflus & cõfidenter, Mihi, inquit, frater fuit Theagenes qui ad Charoneam dux exercitus & contra vos pro libertate Græciæ dimicans cecidit, ne quid nobis tale accideret. cùm aut perpeffa sim genere meo indigna, mori non recuso. potius enim hoc est, quã viuentem aliam talem experiri noctem, nisi tu id prohibeas. Humanissimus quisque adstantium ad hæc lachrymas emisit. Alexandro miserari mulierem, vt miseratione superiorem, non subiit: admiratus autem virtutem, orationẽque qua satis grauiter se notatum sentiebat, ducibus mandauit vt attendere prætulerentque, ne porro talis contumelia familie allicui illustri inferretur. Timocleam autem dimisit, omnẽque qui eam cognatione attingere inuenti sunt.

Vltio diuina.

Batti, eius qui Felicis cognomentum tulit, filius fuit Ar-
 cesilaus, moribus patri nequaquam similis. Nam & viuens
 cum pater talento multauerat, quodd propugnacula ædi-
 bus suis circumposuisset: & mortuo patre, cum & ingenio
 esset aspero, (vnde & cognomen ASPERI reperit) & amico
 malo vteretur Laarcho, pro rege tyrannus fuit. Laarchus
 aut cum affectaret tyrannidem, ac Cyrenæorū optimos aut
 pelleret vrbe, aut interficeret, culpam in Arcesilaū confere-
 bat: tandēq; eum in morbū grauem ac tabificum propi-
 nato lepore marino coniecit, vitāq; exiit: & ipse imperium
 occupauit, Batto eius filio id se adseruare pretendens. Filius
 porrō Arcesilai, & quia claudus erat, & propter ætatē con-
 temnabatur: matrem eius magni faciebant pleriq;, scēmi-
 nam pudicam atque humanam, & familiaribus multis po-
 tentibusq; stiparam. Itaque eam Laarchus demerens, nu-
 ptias ipsius expetebat, promittebatq; se ea ducta Battū ad-
 optaturum, & focīū regni habiturum. Eryxo (ita enim ap-
 pellabatur mulier) re cum fratribus deliberata, Laarchum
 cum his agere iussit, se fingens assentiri. Laarcho cum fra-
 tribus Eryxūs locuto, cum rem illi de industria traherent,
 morāq; producerēt, Eryxo ancillam ad eum mittit, nun-
 ciatq;: Fratres in præsentia repugnare. quodd si secum con-
 cubuisset, finem eos dissentienti facturos, & concessuros
 nuptias. veniret itaque ad se noctu, si videretur: factō enim
 initio, reliqua facilē successura. Voluptati hæc fuerunt La-
 archo, animōque ob blanditias mulieris vana spe protinus
 inflato, venturum se vbi ipsa iussisset, pollicitus est. Hæc au-
 tem Eryxo agebat Polyarchi, qui fratrum natu erat maxi-
 mus, consilio. Constituto coitus tēpore, Polyarchus occul-
 tē in cubile fororis introductus est, stipatus duobus adole-
 scentibus gladios tenentibus, pœnāsq; de nece patris ex-
 acturis, quem Laarchus recēs interfecerat. Laarchus ergo ab
 Eryxone vocatus, absq; stipatoribus venit, & ab irruentibus
 gladiisq; ferientibus adolescentibus interfectus est. Cada-
 uere trans murum eiecto, Battum productū regni paterni
 successorem declarauerunt, pristināq; reipublicæ consti-
 tutionem Polyarchus Cyrenæis restituit. Aderant ea tem-
 pestate permulti milites Amasidis regis Ægyptiorum, quo-
 rum fideli opera vsus Laarchus, & propter eos non minime
 terribi-

terribilis ciuibus fuetat. Hi ad Amasin miserunt, qui Polyarchum & Eryxonem accusarent. Is cum indignaretur, ac de bello Cyrenæis inferendo cogitaret, matrem eius mori contigit: iustaq; ipso faciente, renunciatum est illud Cyrenam: placuit itaq; Polyarcho sui excusandi gratia ad Amasidem proficisci: cumq; Eryxo vnâ ire ac periculû obire vellet, mater etiam Critola, quantumuis vetula, comitem se adiûxit, maximæ autoritatis mulier, utpote soror Batti quondam Felicis. Postquam in Ægyptum venerunt, cum aliis maiorem in modum causam suam probauere, tum ipse Amasis maximo opere pudicitia fortitudinemq; Eryxonis est amplexus, donisq; honoris gratia affectos, & regio more tractatos Polyarchum ac mulieres Cyrenam remisit.

XENOCRITA.

15 Non minorem admirationem meretur Xenocrita Cumana, ob facinus in Aristodemum tyrannum. Qui Mollem hunc a mollitie cognominatum putant, ignorantie veri id faciunt. Fuit enim Mollis dictus à barbatis, quasi Ephēbus: quod adolescentulus admodum inter æquales adhuc comam alentes, quos (ut apparet) coronistas a coma dicebant, in bellis contra barbaros claruit, non audacia modo & opere militari, sed calliditate etiam ac prouidentia vsus singulati. Itaq; à ciuibus in admiratione habitus, & ad maxima imperia cunctus fuit. Romanis quoq; missus est supplicias adducens, cum ij bello vrgerentur ab Etruscis Tarquinium Superbum in regnum restituere conantibus. In ea expeditione, quæ diu durauit, omnia in gratiam militum agens, magisq; popularem captatis fauorē quam ducis perlonā gerens, persuasit eis ut se in inuadendo senatu, eijcientisq; vrbe Cumana optimis potentissimisq; ciuibus adiuuarent. Inde potitus tyrannide, iniuriis quas in mulieres & ingenuos pueros exercebat, omnia sua superauit flagitia. Memoria enim proditum est, masculos eum pueros cōdofecisse ut comam alerēt, aurūmq; gestarent. mulieres autē coegisse ut tonderentur rotundè, chlamydes ephēborū gestarent, & tuniculas perbreues. Erat Xenocrita quædā Cumis, puella patre nata, qui tum in exiliū actus erat. Hæc Aristodemus singulari amore ardens secum habuit, nō adductam aut persuadēdo cōciliatam sibi, sed ratus ut cunq; gratum futurū puella, quod cum tyranno uiueret, & à ciuibus

Aristodemus.

suspice-

suspiceretur ac beata putaretur. At Xenocritam hæc nihil
 mouebant. sed cùm molestè ferebat se nullis pactis nuptia-
 libus, absq; vlla desponsione cum viro degere, tum eorum
 qui tyrannum oderant libertatis patriæ cedebat desiderio
 nemini. Fortè tum eo tēpore Aristodemus fossa regionem,
 quandam ambiebat. quod opus neq; necessarium erat neq;
 vile, tantùm ad vexandos laboribûsq; atterēdos ciues ex-
 cogitatum. Erat enim singulis certa mensura egerēda ter-
 ræ designata atq; imperata. * vt vidit accedentem Aristode-
 mū, declinauit, tunicâq; faciem velauit. eôq; digressio cùm 10
 adolescentes per iocum & illudendi gratia quærerent, quid
 esset causâ, quod solùm præ pudore fugeret Aristodemum,
 neque aliis maribus eodem modo afficeretur: planè seridò
 respondit, Solus enim inter Cumanos Aristodemus vir est.
 Ea vox cùm omnes tangeret, generosos etiam pudor insti- 15
 gavit ad recuperandâ libertatis studium. Et quidem ipsam
 Xenocritam aiunt cùm hoc inaudiuisset, dixisse: Malle se
 quoq; pro patre, si ei reditus esset in patriam datus, terram
 portare, quàm in tanto luxu & potentia cum Aristodemo
 viuere. Hæc confirmauerunt eorum animos, qui principe 20
 Tymotele in Aristodemum conspirauerant. cùmq; eis adi-
 tum securum præberet Xenocrita, & Aristodemū inermem
 atque custodia expertem: non magno negotio intruerunt,
 cùmq; trucidauerunt. Hoc modo Cumanâ duarū mulierum
 virtute libertatem receperunt: altera cogitationem eis rei 25
 gerendâ, simulūque iniiciente, altera ad rem conficien-
 dam auxilium ferente. Cùm autem magni honores & dona
 ampla Xenocritæ offerrentur, omnibus ea repudiatis hoc
 petiit, vt Aristodemi cadauer sibi sepelire liceret. Neq; hoc
 tantùm à ciuibus impetrauit, sed & Cereris eam sacerdotē 30
 fecerunt: rati hunc honorem nō minus gratum deâ, quàm
 Xenocritæ decorum fore.

PYTHIS vxor.

Pythæ quoque vxor, qui Xerxis ætate vixit, à sapientia &
 humanitate cōmendatur. Inciderat (vt aiunt) maritus eius 35
 in metalla auri: & quas inde consequabatur diuitias, non
 moderatè amplexus, sed inexpleti animi studio persequens,
 cùm ipse supra modum ei negotio vacabat, tum vniuersos
 ciues eò adductos ex æquo fodere, aut egerere, aut purgare
 aurum cogebat, omnibus aliis actionibus operibûsq; pro-
 sum

sum neglectis. Multis tūm pereuntibus, omnibusque ani-
 mū deponentibus, mulieres ad ianuam Pythis vxoris sese
 contulerunt, ibiq; de more supplicationis signum deposue-
 runt. Ea, discedere his, & bono esse animo iussis, aurifabros
 5 quibus maximè fidebat, ad se acciuit, domiq; inclusos iussit
 panes, bellaria, poma, & alios cibos, quibus maximè dele-
 ctari Pythen nouerat, ex auro omnia conficere. Luerat tum
 fortè Pythes peregrè. Qui vt domum redit, cœnâmq; po-
 10 poscit, auream ei mulier mensam apposuit, nullo esui apto
 cibo, sed omnibus aureis instructam. Cū initio delecta-
 tus artificio naturam imitante, sacre spectaculi posceret ci-
 bum: quodcunque peteret, id aureum ei mulier attulit. In-
 dignanti, & esurire se respondentem: atqui, inquit, harum tu
 nobis rerū copiam, nullius præterea parauisti. omnia enī
 15 artificia, omnis v̄sus aliarum rerum desertus est. agros nemo
 colit, & posthabitatione, plantatione, alimentorumque
 è tellure comparatione, fodimus inutilia, ac quærimus, no-
 bis ciuibꝫ; extremam exhibentes molestiam. Permoit
 hæc oratio Pythem: & quanquam à secluris aureis non pla-
 20 nē destitit, contentus tamen quinta ciuim parte ad hanc
 rem, reliquos agriculturæ & artibus incumbere iussit. Is Py-
 thes cū Xerxem in Græciam proficiscentem splendidissi-
 mē excepisset, donisq; amplissimis demeritus esset, hæc sibi
 petiit a rege fieri gratiā, vt cū plures haberet filios, vnus
 25 eorum immunitate militiæ donaretur, qui domi manens
 senem patrem curaret. Xerxes verd iratus, huic vnū, quem
 sibi relinqui pater orauerat, iugulari ac dissecati iussit. ca-
 strisque motis reliquos omnes abduxit eius fratres: qui om-
 nes diuersis in præliis perierūt. Qua ex re cū magnam
 30 animi dolore cepisset Pythes, idem in se est expertus, quod
 vitiosis solet fatuisq; euenire hominibus. Nam & mortē ti-
 mebat, & vitā agrè tolerabat. cūmq; & viuere noller, & vi-
 tam proijcere nequiret, hoc egit: Agger in vrbe erat mag-
 nus, perq; eam annis labebatur, quem Pythopoliten no-
 35 minabant. Eo in aggerē monumentū sibi parauit, fluuijque
 alueū ita auertit, vt delapsu suo sepulchrum attingeret. opē
 re perfectō, vxori urbem imperiūmq; omne cōmisit, mada-
 to ne ad monumentū accederet, sed sibi quotidie cœnā lin-
 tri impositā per amnē demitteret, tancūq; dum linter cum
 cibo intacto sepulchrum præteruheretur: hoc si eueniret,

Stultè autē
 vi exitus.

tum

tum mittendi faceret suam, seque mortuum sciret. Hoc ille modo vitæ reliquum consumpsit. Vxor autem rebus præclare præfuit, cuiusq; malorum mutationem parauit.

AQVANE, AN IGNIS SIT

vtilior.

*Mitto O.
lymp.*

PINDARVS pronunciauit, aquam esse rerum optimam, aurum autem flagrantem ignem. is ergo palam posteriorem locum igni assignauit. Ad stipulatur huic Heliodus, ita scribens,

Principio factum Chaos est.---

nam voce Chaos pleriq; eum existimant expressisse aquam ob diffusionem, quæ est Græcis chylis. Carterum tellus in vtrinq; partē æqualia sunt momenta. Sunt enim qui ignem vniuersi principium esse pronunciant, eumq; tanquam semen & gignere ex sese omnia, & in sese facta conflagratione receperunt. Omisissis itaq; autoribus, rationes ipsas cōside-
Pro aqua. remus in vtram nos partem inclinent. Nō one autem id vtilius est, quo semper continentēq; indigemus, & quidē plurimo? quomodo supellex, aut instrumentum, atque aded amicus aliis præfertur, qui nobis quauis hora & ad qualis occasiones vtendi præsidē est. Atqui ignis non semper vtilis est: & aliquādo eum molestē ferimus atq; amolimur. Aquæ & hyeme & æstate, tam sanis quàm ægrotis, noctu dieq; deniq; nunquam non vsus est & opus. nimirum enim mortui hinc alibantes dicuntur, quod humore careant, ideòq; vita sint priuati. Deinde absq; igni multa fuerunt: sine aqua nullus vnquam homo. Est verò id quod in initio statim & ab ipso ortu hominum exstitit, vtilius eo quod postea tēporis inuentum fuit. liquet enim illud naturam nobis vt rem necessariam dedisse, hoc ob vsus superuacaneos studio machinationēq; partum esse. At verò dici non potest quādo aqua caruerint homines: neque eius inuentor deorum aliquis aut heroum perhibetur. Ignis vsus nuper aded, vt aiunt, à Prometheo est repertus, ita sine igni, non absque aqua vita fuit. Et non esse hoc à poetis confictum, nostra demonstrat. Sunt enim quædam hominum gentes, absque igni vitam degentes, domibus focusq; carentes, & sub diuo agentes. Quin & Diogenes cynicus minimè igni est vsus. qui etiam polypum crudum deglutiens, Tantum dixit, pro vobis adeo